



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

37. Perlustrato per &c. Resolutio plurium dubiorum Oeconomicam  
administrationem Archiconfraternitatis Sancti Hieronymi Charitatis Urbis,  
& pia Opera, quæ ibidem excentur, respicientium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](#)

1708.

nec non Decreti Sac. Congregationis Consultationibus hujus nostrae Familiae preposita, approbante Sanctissimo, sub Dat. die 4. Junii 1628. declarat ejusmodi Capsulas statui, ac Professioni Fratrum Minorum de Observantia esse repugnantes, & proinde Fratres nostros non comprehendendi sub praecerto hujusmodi de retinendis praedictis Capsulis in Sacrificiis, vel suis Conventibus, & si opus fuerit supplicetur SS. pro confirmatione hujus declarationis per Officiales Familiae: Hanc autem Constitutionem legalitatem impugnat modernus V. Commissarius Generalis Familiae Cismontanæ, antumans eas fuisse efformatas proprio marte mox Defuncti P. Generalis Ordinis, circa consensem Generalis Capituli; Sed earum loco, hoc aliud exhibuit documentum. In Registro Curiae Aracelitanæ factò ab Anno 1700. usque ad Annum 1704. fol. 22. num. 7. inter alia sic legitur. Circa Capsulam pro conservatione eleemosynarum pro Missis celebrandis recipiendarum in Sacrificiis omnium Regularium, etiam Mendicantium cum amplissimis derogatoriis omnium in contraria quomodolibet disponentium a Sacra Congregatione Concilii in novissimis Decretis de Celebrazione Missarum obseruari mandatione cum circumstantis in ea materia dispositis, Discretorum Generale optat, ut supplicetur Sanctissimo pro dispensatione Observantium ab obligatione eas Capsulas retinendi; At Discretorium Generale rogat Reverendiss. P. Generalem, ut perpendit, mandet id fieri, & respedire supplicari, quod sibi melius in Domino, ac Ordinum utilius videbitur expedire.

Ancipites valde sunt Religiosi præfati Ordinis, utram in partem se dent super hujusmodi Capsularum retentione, exindeque in varias abierunt interpretationes, cum præjudiciali diffinitate regularis Instituti, utpote, qui Innocentianam Constitutionem servandam contendunt, Capsulas ad usum revocarunt, cæteri vero, qui supra relatis Ordinis statutis connotuntur, eadem abjecerunt; Propterè prænominationis V. Commissarius Generalis ad restituendam in hac parte debitam Regulæ uniformitatem, reverenter expediti ab EE. VV. declarationem, an sui Religiosi observantे Regula D. Francisci comprehendantur sub primi dicta Constitutione Innocentianæ de Capsulis retinendis pro Missis celebrandis.

Eminentissimus Ordinis Protector informare desuper requisitus præallegatas dispositiones libando, non dubitat hosce Fratres Minores Observantes comprehendendi sub d. Constitutione Innocentianæ, eo quod illa specificè de Regularibus Mendicantibus loquatur, atque præmemo rata Religionis Statuta ex adverso recentita non obstat, subdit, attenta speciali eorumdem derogatione in eadem Innocentianæ contenta, quin, & ulterius Eminentiss. Relator allegando Indulatum san. mem. Gregorii XIII. permittentis usum hujus modi Capsularum in Sacrificiis dd. Fratrum, pro asservandis eleemosynis in dies oblatis, quod referuntur ab Auctore Orb. Seraph. tom. 3. pag. 382. col. 2. & pag. 446. col. 1. censet nullum se deprehendere inconveniens in earum usu quicunque tamen retineantur cum cautela, in locis non publicis, ne in apparentia offendatur paupertas, sed asservent Claves, apud Sindicum Apostolicum, & Superiorē localem respectivē, ad formam Constitutionis Innocentianæ, ut latius in ejusdem relatione per manus circumferenda. His itaque expensis emergit dubium sapientissime ab EE. VV. resolvendum.

An, & quomodo Minores Observantes valeant retinere Capsulas pro Missis celebrandis in causa &c.

Die 7. Julij 1708. Sacra Congregatio Eminentiss.

morum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit negative.

B. Card. Panciaticus Præf.

V. Petra Secr.

### R E S O L U T I O.

Plurium dubiorum Oeconomicam administrationem Archiconfraternitatis Sancti Hieronymi Charitatis Urbis, & pia Opera, quæ ibidem exercentur, respicientium.

*Romanæ Operum Piorum.*

P Erlustrato per Eminentiss. Mariscottum jussu Sanctissimi Domini Nostri moderno statu omnium redditum, & onerum Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis Urbis, non levia detecta fuerunt inconvenientia, propter quæ locus iste indies deterior fieri videtur cum maximo præjudio Operum Piorum à Fundatoribus injunctorum, quorum exercitium haec tenus defuisse, & posthac planè defuturum noscitur: Ad reparandum itaque, quo fieri potest, æquiori modo id grave detrimentum, Officiales & Deputati ejusdem Loci humiliter preces eidem Sanctissimo porrexerunt ad hanc Sacram Congregationem remissas, hæc media defuper suggerentes.

I. Quod cum præfata Archiconfraternitas gravata sit ingenti ære alieno pertinente summam scutorum 92201. 48. ex eo proveniente, quod effectus, & reditus a piis Benefactoribus reliqui erogati olim fuerint, & annuatim erogentur in aliis Operibus, quam ab eisdem Benefactoribus præscriptis, itaut anno quolibet Exitus Introitio superet in scutis 3140. 15. Ac vice versa cum eadem Archiconfraternitas possideat Capitale liberum ad omni onere scutor. 41887. 94. ideoque supplicant pro facultate conver tendi, & applicandi hoc Capitale liberum in extinctionem præmemorati debiti.

II. Admissa hujusmodi petitæ applicatione, cum nulli alii superint dicto Loco Pio reditus pro solvendis annuis scutis 459. quæ requiruntur pro mercede Ministrorum incumbentium administrationi redditum, idcirco exorarunt pro facultate detrahendi singulis annis ex preventibus cuiuscumque hæreditatis, donationis, & legati ratam partem proportionabiliter usque ad constandam dictam summam annuorum scut. 459.

III. Cum haec tenus rationes omnium reddituum tam liberorum, quam oneribus obnoxiorum extierint sub confuso, ita ut aliquatenus deficitum fuerit ab adimplemento Operum Piorum à Testatoribus prescriptorum, quin & ulterius plus expensum fuerit in adimplendis aliquibus oneribus, quam essent reditus affignati, & vice versa detractum aliis oneribus, quorum reditus illis correspondebant, licet revera non alias, quam in piis & charitatibus operibus proveniens expensi fuerint: Cumque modò ex rerum involucro, & temporis antiquitate prædicti excessus, & defectus liquidari nequeant, ac nimis ardua dignoscatur singulorum ad singula reintergratio quinim adhuc omnibus liquidatis nulla quidem compensatio sequi potest ex notoria Archiconfraternitatis inopia, ideoque attenta eorum bona fide Oratores supplicant pro sanatione gestorum in præteritum, eorumque approbatione.

IV. Ad evitanda in posterum similia adsurda, rogant infuper pro reductione onerum Mis-

farum,

1708

V.

1708.

sarum, Subsidiorum dotalium, aliorumque piorum Operum eidem Loco incumbentium, attenta notabili diminutione redditum illis correspondentum, vel ex naturâ rei, vel ex facto Principis sequuntur.

V. Subjiciunt tandem preces Oratores ipsi, ut in futurum, quotiescumque casus eveniat diminutionis redditum, ipsi metu facetas faciendo congruas onerum reductiones.

Eminentissimus Mariscottus Relator pro informatione requisitus, rebus maturè pensatis quoad primam Instantiam censem, posse indulgeri modo expresso ab E. S. in folio assignando pro reintegratione cujuslibet hæreditatis certa bona libera ejusdem Oratricis, exprimendo, singula bona: Quoad secundam petitionem, admittendam esse putat, flante necessitate Ministrorum, indicatque E. S. provisiones pro singulis Ministris: Quoad tertiam censem, si Sanctissimo placuerit, petitam absolutionem concedi posse, cum excessus, & defectus enunciati ex rerum involucro, ac temporum vetustate in præsens liquidari non possint, & quatenus etiam liquidarentur, ob notam Archiconfraternitatis indigentiam equi non valeant. Et demum quoad quartam, & quintam pariter instantiam, onerum reductionem in futurum concedendam esse arbitratur, ad rationem redditum, juxta methodum per E. S. labore non parvo expressam in folio separato, prout etiam attribui posse Eminentissimo Protectori dictæ Ven. Archiconfraternitatis facultatem moderandam onera in casu minorationis redditum, & hoc pro facilitiore rei expeditione, & celeri piarum voluntatum adimplemento, cum certa, & invariabilis regula singulis quibuscumque annis dari nequeat in futurum pro memorata reductione. Dignitut itaque Eminentissimi Patres eorum sapientissimum Oraculum præbere.

An, in quibus, & quomodo petitis sit an-

nuendum &c.

Die 7. Julii 1708. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attentâ relatione Eminentissimi D. Cardinalis Mariscotti; quoad primam instantiam benignè commisit eidem Eminentissimo, ut veris existentibus narratis, & præviâ Oratorum absolutione à quibuscumque censuris, & peccatis, petitam facultatem ergandi prefatum liberum Capitale scutorum quadraginta unius miliium octingentorum octoginta septem, & obulorum nonaginta quatuor in dissolutionem, & extinctionem supra enunciati æris alieni pro suo arbitrio, & prudentiâ Oratoribus gratis impatriari. Secundam petitionem benignè remisit arbitrio ejusdem Eminentissimi Relatoris, qui pro sua prudentiâ super gerat, statuat, atque decernat, quod sibi magis in Domino expedire videbitur. Quoad tertiam instantiam eidem Eminentissimo Relatori commisit, ut in præteritum gesta saner dumtaxat, atque convalidet. Quo verò ad petitam quarto loco reductionem Missatum, Subsidiorum dotalium, aliorumque piorum Operum, itidem Eminentiae Suae commisit, ut vocatis, si qui fuerint vocandi, ac maturè pensatis omnibus, & singulis hujusmodi Fundationibus, seu Legatis, firmis remanentibus oneribus congruam Eleemosynam habentibus, ac provenientibus ex contractu initio cum Archiconfraternitate, necnon Missis, quæ à piiis Fundatoribus, seu Testatoribus in eorum dispositionibus fuerint prædilecta, & subsidiis dotalibus anteposita, ea dumtaxat Missarum onera, commutatis Anniverariis in tot Missas lectas ad rationem Eleemosynæ manualis, more Urbis inspecto, ac subsidia dotalia, & alia opera, juxta proportionatam redditum quantitatatem, dempto, ex eis obulo pro qualibet

Missâ, in causam sacrorum Utensilium erogando, quatenus Ecclesia reditus ad hunc effectum affigatos non habeat, juxta Constitutionem sanctæ mem. Urbani VIII. de celebratione Missarum, pro suo arbitrio, & prudentiâ moderetur, atque reducat, quæ taxativè à piiis Fundatoribus concepta fuerint. Secus verò, si fundationes, seu Legata prædicta demonstrativè concepta erunt, quo casu eadem Sacra Congregatio censuit, non esse locum reductioni, sed agendum esse contra hæredes Fundatorum ad perpetuam injunctionem onerum manutentionem, & ad supplendam summarum deficiente, tam pro præterito, quam pro futuro tempore. Quatenus autem quicad onera demonstrativè concepta, factis judicialibus, & possibilibus diligentis, vel hæredes cogendo, vel Testatorum bona non reperiantur, super quibus Oratorum conscientia onerata remaneat, tunc censuit, *opera ipsa reduci posse proportionabiliter, ut supra*. Ita tamen, ut si quando redditus augeantur, augeri quoque debeat ad ratam Missarum numerus, & quantitas dotium, aliorumque piorum operum, non autem diminuantur in casu diminutionis eorundem redditum, sed in casibus particularibus ad eamdem Sacram Congregationem recurratur, quod in actu præsertim visitationis erit inspicendum. Ut autem in futurum cautius & diligenter procedatur, tum in acceptandis pii Legatis cum onere Missarum, tum in adimplendis jam acceptatis, sepedicta Sacra Congregatio præfato Eminentissimo Relatori pariter commisit, ut Deputatis & Officialibus prædictæ Archiconfraternitatis stricte injungat observantiam dictæ Constitutionis sanctæ mem. Urbani VIII., & Innocentii XII. super celebratione Missarum.

B. Card. Panciaticus Praefectus.

V. Petrus Secretarius.

Romana Applicationis Missarum, & Subsidii Dotalis.

**E**xponunt Officiales, & Deputati Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis Urbis, quod olim PP. Minoris Observantiae Provinciae Romanae dimiserint in manibus sanctæ memoriae Clementis VII. Eccleiam S. Hieronymi, ejusque Conventum, Sacrum, sacra supellestria, multasque domus adjacentes, quodque idem Summus Pontifex eamdem Eccleiam cum supradictis membris univerit pfecta Archiconfraternitati eâ legge, ut ibi retineri non possent, nisi Sacerdotes Seculares, qui teneruntur, vel per se, vel per alios Cappellanos celebrare saltē octo Missas leticas quotidianas, & diebus festis Missam solemnem canere cum Vesperis, & Completorio absque expressione applicationis Sacrificij; Necnon, quod cum Joannes Baptista Fossa duas dotes distribuendas reliquerit per dictam Archiconfraternitatem, his verbis: *Mandavit, quod de omnibus suis bonis prima vice tantum expanderet in ornamentum, & beneficium Sacrificij S. Hieronymi Charitatis scuta quinquaginta, & reliquis amnis futuris de suis introitibus nubantur Puellæ duæ modo, & forma, prout alia nuptiæ tradantur ultrâ numerum solitum à dicta Societate: Hinc supplicavit declarari infra scripta dubia, super quibus auditus Eminentissimus Mariscottus Relator rationes hinc inde adducit quoad primum, sed votum non aperit. Quo verò ad secundum puta deberides distribui non ad rationem scutorum trintiginta pro qualibet, prout aliae distribuuntur à dictæ*

1710.

Archiconfraternitate, sed ad ratam fructuum hæreditariorum, remittendo totum judicio EE. PP., qui exorantur resolvere.

Primò. An Sacerdotes hodierni Ecclesiæ S. Hieronymi numero octo possint Sacrificium applicare in satisfactionem aliorum onerum à Testatoribus injunctorum post unionem. Archiconfraternitatis prædictæ, seu potius teneantur applicare pro Benefactoribus ante unionem in casu &c.

Secondò. An due dotes distribuenda ex dispositio-ne Joannis Baptista Fosse debeat esse in summa scotrum tringita pro qualibet, comprehensa ueste, sive pro intranti quantitate integri fructus hereditatis prædictæ in casu &c.

Die 7. Julii 1708. Sacra Congregatio Eminens-simum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit ad primum Affirmati-vè quoad primam, & negati-vè quoad secundam par-tem: Ad secundum Negati-vè quoad primam, & affirmati-vè quoad secundam partem.

B. Card. Panciatius Praefectus.

V. Petra Secretaria.

### E P I S T O L A.

VI.

Encyclica ad universos Italiae, Insularumque ad-jacentium Ordinarios iussu Summi Pontificis conscripta, qua pium Exercitorum spiritualium opus ipfis maximè commendatur, & Clericis, Sacerdotibus, aliisque Ecclesiasticis illa peragen-tibus plura ex Apostolicâ benignitate indulgen-tur.

**R**everendissime Domine uti Frater. Inter gra-vissimas Pastoralis Officij curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster affidè premitur, in eam præcipuo studio incumbit, ut quicunque in forte Domini vocati sunt, præfertim vero Sacerdotes, & animarum Rectores, tum sacrarum Literarum, Divinarumque rerum scientiæ, tum etiam vita, morumque honestate cæteris antecellant, ac in omnibus, juxta monitum Apostoli, præbeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrinæ, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiæ membra, Dispensatores mysteriorum Dei, Christiani Populi Duces, & Magistri, Mediatores inter Deum, & Homines, lucernæ super candelabrum posite, ut luceant omnibus, qui in Domo sunt; Nihil est, quod alias magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quam illorum vita, & exemplum; Omnes siquidem in ipsos, tamquam in speculum, oculos conjicunt, ut inde sumere pos-sint, quod imitentur. Porro cum diuturnâ experientiâ compertum sit ad retinemandam, confervan-damque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, & sanctimoniam maximè conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus Exercitiis aliquando vident, quibus quidquid sordium de mundano pulvere con-trahit, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, rectè, sanctè, que vivendi norma vel instituitur, vel confirma-tur; Proinde Sanctitas Sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo vehementer exoptans, ut pium hoc, & saluberrimum exercitorum spiritualium opus ubique locorum magnopere fre-quenter, ac vigeat, universos Patriarchas, Ar-chiepiscopos, Episcopos, cæterosque tum Italiae, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios enixè admonet, ac in Domino hortatur, ut dillu in sua quisque Diœcesi, quo majori poterunt

conatu, & studio promovere satagant; præcipue verò iis districtè injungit, ac præcipit, ut, qua-dudum san. mem. Innocentius XI, P. M. per en-cyclicam Epistolam à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium Consultationibus præ-posita ad universos Italæ, Insularumque adjacen-tium Episcopos datam die 9. Octobris 1682. quod hujusmodi Spiritualia Exercitia à singulis Clericis decem diecum spatio antequam ad facios Ordines assumantur, peragenda mandavit, ex-aclè, ac inviolabiliter observari, & exequi carent, & quos iisdem exercitiis per antedicti temporis spatium minimè operam dedisse cognoverint, à sacra Ordinatione repellant penitus, & arceant, Præterea Sanctitas Sua eosdem Ordinarios admo-net, & hortatur, ut fructu, qui sanè uberrimus ex prædictis spiritualibus Exercitiis percipitur, opportunè proposito, ac explicato universos ex Clero sibi subiecto, sed præcipue animarum Re-fiores, Confessarios, Canonicos, aliosque Bene-ficiatos Chori servitio adstrictos diligenter exci-tent ad eadem Exercitia saltem semel in anno pe-ragenda in dominibus Religiosorum Societatis Je-su, seu Presbyterorum Congregationis Missions, si adint, sin minus in alia pia, seu Regulari Do-mo ab ipsis Ordinariis ad id designanda, & ap-probanda. Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli convenient, Sanctitas Sua omnibus præfatis animarum Rectoribus, Con-fessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacer-dotibus, & Clericis, qui per decem dies sigulis annis, eadem Exercitia peregerint in dominibus præfatis, ibique diu, noctuque permanerint, ac interea temporis verè pœnitentes, & confessi Sa-crosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem miseri-corditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno exercitis hujusmodi vacantes à residentiâ benigne absolu-vit; Quod ipsum servari præcipit quoad Canoni-cos, Beneficiatos, aliosque personali residentiâ obstrictos, & Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decenit integrlos fructus, & quotidianas suorum respectivè Canoniciatum, & Beneficiarum distributiones quascumque, perinde ac si Choro, Divinisque Officiis personaliter in-teressent, dummodo tamen eadem Exercitia pe-ragant, obtentâ prius ab Ordinario licentiâ, à quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus Fe-sitivitatibus, nec unquam omnibus simul Canoni-cis, aliisque Choro inservientibus, sed eo ad-hibito modo, ut Chori servitium nequaquam in-termittatur, & quoad Parochos, idoneis prius subrogatis Oeconomis ab ipsomet Ordinario ap-probadis, qui animarum curam laudabiliter ad-ministrant. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut ha-litera publicentur in istâ Diœcesi, & in Cancella-ria regestis pro perenni eorum, quæ in illis con-tinentur, obseruantia describantur, & ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Ampl. tuæ vigili providentiâ, ac pastorali sollicitudine præstan-da fore confidit Sanctissimus Pater, ut à Sanctitate Sua laudem, à Cœlesti verò bonorum operum Retributore condigna præmia valeat promereri; Et Ampl. tuæ copiosa divinorum Chrismatum in-crements ex animo precor. Ampl. tuæ Dat. Ro-mæ die 1. Februario 1710.

Uti Frater.

Bandinus Card. Panciatius Praefectus.

V. Petra Secret.

EPISTOLA

1710.